



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

Liber I. De Sacramentis in genere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)



DE SACRAMENTIS IN GENERE LIBER PRIMVS.

NEO obvia, & probe disputata sunt, præsertim à recentioribus, quæ pertinent ad Sacramentum, ut actum agere, ea rep. tendo, omnino nolim. Seligam ergo, quæ utiliora sunt ad praxim. Tu interim, Amantissime IESU, qui gratiam Sacramentis, seu ex cælestibus fontibus, in animas tibi addictas effundis, guttulam tui roris in mentem meam serui tui benignus insperge.

CAPVT PRIMVM.

De Materia, & Forma Sacramentorum.

MATERIA Sacramenta constant rebus, & verbis, & quæ materiam, & formam vocant Theologi, Baptismus v.g. conficitur ex ablutione, qua homo à Baptizante abluatur, atque hæc est materia: & ex illis verbis, quæ ab eodem in quacumque lingua dicuntur, *Ego te baptizo*, &c. atque hæc est forma. Ita est proportionaliter in cæteris Sacramentis, ut late idem Theologi probant, & nos ea, quæ sunt necessaria, dicemus in consequentibus. Nunc autem, cum loquamur in genere de Sacramentis, illa explicare opus est, quæ, quoad praxim, omnibus Sacramentis sunt communia, quod jam facio.

§. I. Materia, & forma Sacramenti simul esse debent.

1. Simul quidem, sed similitate morali, tum quia Sacramenta sunt entia moralia, tum quia, si requireres similitudinem metaphysicam, cum ad hæc homines humano modo operantes, minus attendere soleant, ea sæpius sine invalida essent. Rectè igitur Sorus *In 4. diff. 3. quæst. 1. art. 1. §. 1.* vocat in hoc Cætanum scrupulosum, quod voluerit, ad validitatem Sacramenti, debere verba inchoari, antequam actio finiatur, antequam v.g. finiatur, Ablutio in Baptismo, debere inchoari illa verba: *Ego te baptizo*, &c.

2. Illud tamen nota, pro diversitate Sacramentorum, diversam requiri propinquitatem rerum, & actionum similitudinem, in quibus Dominus IESUS illa constituit.

3. Verum, quæ tandem hæc propinquitas? Respondeo. Quoad praxim, ad quam nos semper colimus, Sacerdos, vel Minister, cum Sacramentum conficit, debet curare, ut seruet maiorem, quam potest similitudinem materię cum formā. Et in cæteris quidem Sacramentis, dum ponit materiam, simul proferat formam, dum v.g. abluat, dicat: *Ego te baptizo*, &c. At in Sacramento pœnitentiæ statim, absoluta narratione peccatorum, in iunctaque pœnitentiā, dicat verba Absolutionis, & in Sacramento Matrimonii, post explicatū assensū vnius ex conjugibus, explicet alter assensum suum.

4. Quod si propter aliquos casus, qui fortè evenire possunt, quæras, quænam in rigore distantia materię à

prolatione formæ invalidet Sacramentum? aio tunc invalidare, quando secundum naturam talis Sacramenti ita distat materia à formā, ut prudentis arbitrio vnum completum morale ex utraque non fiat. Si enim hodie abluas, & cras ore proferas: *Ego te baptizo*, quis non videt fore invalidum hoc Baptisma, cum ablutio hodierna, & verba cras prolata non faciant vnum morale in hoc genere actionis abluendi? Eadem tamen distantia, imò major, non faciet invalidum Matrimonij Sacramentum, quia hoc Sacramentum, sequitur naturam contractus civilis, ut clarius apparet, quando per nuncium, vel literas in loco distanti matrimonium celebratur. Pro sua igitur proportionē hæc sunt applicanda cæteris Sacramentis, ut apud DD. latè, S. Th. scilicet *q. 60. art. 6. ad 2. Suar. de Sacram. 2. sec. 2. Valent. Coninch. Hurt. aliosque ad Bonac. 4. 2. de Sacram. q. 1. p. 2.* Atque ex his jam intelligis, quid sit illud, quod modo n. 2. dixi, eam requiri propinquitatem secundum diversitatem rerum, & actionum, in quibus Dominus Sacramenta constituit.

5. Duo me olim, sed diverso tempore, Sacerdotes convenēres, quorum alter me interrogavit, An ipse quendam pœnitentē, qui sua peccata plenè confessus erat, in iunctamque pœnitentiam acceptaverat, licitè absolverit non statim, sed post integram forè horam, in qua ipse Confessor debuit in hoc eodem confessionis, ex urgenti necessitate, prolixum habere sermonem cum quodam magnæ auctoritatis Principe. Alter vero quæsierit, An ritè simile quid fecerit in extrema vñctione conferenda? Nam dum primam vñctionem adhibuisset, formæque pattern illi vñctioni respondentem, ut fit, sed non totam protulisset, visus est certò infirmus animam exhalasse, unde omnino destitit ab incepto ministerio Sacerdos, ut desistere certe debuit, sed quia post integram circiter horam infirmus oculos aperuit, vivisque manifestè apparuit, idem Sacerdos formam iterum adhibuit, quam integram non protulerat, non repetita tamen vñctione, quæsierit ergo an ritè se gesserit?

6. Respondi, priorem ritè, & licitè se gessisse, nequaquam posteriorem. Ratio fuit, quia pœnitentia, quæ est ad modum iudicii, tolerat prædictam illam distantiam, quantum est ex hoc capite, præscindendo, an in eo interjecto tempore peccaverit, vel non peccaverit pœnitens, &c. At mihi videtur eadem distantia non tolerari à Sacramento Extreme vñctionis, quod est institutum ad

A modum

modum deprecationis, ut coniuncta cum vñctione: De-
buerat ergo Sacerdos ille vñctionem iterare, quia illa
prior vñctio se habuit, ac si nunquam fuisset pro hoc
Sacramento, cum non potuerit propter illam distantiam
facere unitatem moralem cum forma post horam.

7. Inquires, si Sacerdos implet vnam, vel alteram vñtionem, atque integrè formas primis his vñtionibus correspondentes, proferret; sed deinde, propter similem paroxysmum, post horam veilet Sacramentum perficere, deberet iterum primas illas vñtiones, formæque ipsi affixas repetere?

8. Respondco, debere. Ratio est, quia communior, & vera sententia, quam docet Suar. Conic. cum G. Hurtado de exir. *vn. diff. 9. S. Th.* est gratiam in hoc Sacramento confecti in instanti vltimo, quod continget esse in prolatione formæ, vel exhibitione vltimæ vnctionis: Quare primæ illæ vnctiones cum suis, quævis integris formis, non fuerint Sacramentum. Cum ergo ex alia parte, propter distantiam interiecti temporis, non possint, ut iam dictum est, facere moraliter vnum cum consequentibus vnctionibus, debebunt repeti. Nec Sacramentum reiterabitur, quia, ut dixi, illæ primæ Sacramentum non fuerint, si gratiam nullam conulerunt. Ex his ergo disce similia.

De separatione verborum formae inter se.

9. Quidam Sacerdos, dum partem verborum consecrationis protulisset, nimirum *Hoc est corpus*, antequam proferret *meum*, ea distillatio in capite fluens repente fauces impedit, vt fere per semiquadrantem tussi occupatus, illud quod supererat de forma neme *meum* proferre non potuit, protulit tamen deinde ipsum pronomen *meum* dumtaxat, consecravit Eucharistiam, idque licite?

10. Respondeo. Regula generalis in hac re similis est præcedenti; Si enim interruptio fit huiusmodi, ut verba præcædencia, faciunt vnum sensum locutionis cum consequentibus, validum fiet Sacramentum, & quidem quando est magna temporis interiectio, quæ tamen non tollat dictum sensum vnius locutionis cum consequentibus, validum fiet Sacramentum, & fiet in gravi necessitate etiam licitè. At verò si interruptio ita sensum distrahatur, ut non fit vna locutio, seu vna oratio, certè non conficietur Sacramentum, nec licitè, nec validè, propter rationes suprà in simili dictas. Cum igitur in casu prædicto tollentis Sacerdotis magna fuerit illa vnius semiquadrantis intermissio sensum omnino distrahit, vnitatem impedit, atque adeo Sacramentum constituere non potuit. Quare debuisse ille bonus Sacerdos totam formam repetere? Non ita, si solum fœmel expulisset, v.g. aut vnum vel alterum verbuli dixisset, v.g. sic, *o bone Deus, vel fuge hinc, vel Dominus tecum*, vel, si dicat baptizās: Ego te baptizo, *verbe solum* in nomine Patris, &c. Nam licet nequaquam diuisa (ut ita dicam) fuisset oratio, nec Sacramentum invalidi.

11. Quod hactenus dictum est, intelligi etiam debet de interruptione per silentium, nam etiam hoc potest esse tantum, vt non fiat vna locutio ex verbis, ante illud dictis, & dictis postea.

12. Quando autem dubium est, an interruptio, siue per alia verba, siue per dictum silentium diuiserit notabiliter orationem, vel tu animo pusillanimis decernere id non audeas, certe repetere totam formam, non solum tibi est integrum, verum etiam securus operaberis.

De separatione syllabarum forma.

13. Quod dictum est, sua applicandum est proportionē ad interruptionem inter vnam syllabam, & aliam, nam si quis, postquam pronunciauit *Hoc est corpus meum*, tussiat vel sileat, vel loquatur verbulum aliud, & deinde proferat, non conficiet Sacramentum, si est notabilis intercapedo inter syllabam, ut ex dictis colligitur: Sed quid si interruptio sit breuifcula?

14. Respondeo. Si semel Sacerdos tu fuit, vel respiret, unde tantisper quiescat, fieri Sacramentum docet Leander tract. 2. de Sacram. Bapt. d. 3. q. 38. in prima edi. Complui ann. 1642. quam semper cito, licet neget Bonacina, d. 1. d. Sac. quæst. 2. p. 1. n. 23.

15. Ego omnino explicandam, &c. *divinitus*
quæstionem puro, nam de vnica respiratore ac
etiam vnica momentanea tuisti, quæ sit
tionem par, Leuandi sententiam accipio, & tam
securus esse iudico, si repetatur inquit, & tam
de interruptio fuit notabilis, inquit verbum
locutione verò amplector Bonacinæ sententiam
enim, si quis ita dicat: *Ego te baptizo & deinde inquit*
Deus, tum denique addat *te*, vel *Hoc est*
 Corpus meum, non conficere Sacramentum. Respon
dum verbum, quamvis brevissimum. Respon
bi alterius verbi distrahit sensum syllabæ præ
quod non facit momentanea illa tuisti, & munda
vnica respiratio, ut ipsæ, audientium aures facile
16. Qui tamen repetit aliquam primam syllabam
bi formæ, sic v. g. Hoc est Corpus meum. Ho
calix sanguinis mei, conficit Sacramentum. Ho
prima syllaba in tam brevi tempore repetita
mæ destrahere non solet, & sic sine distrahendo
loquuntur sæpe balbutientes, quos Sicilienses
lamus.

§. II. *Materia, & Forma Sacramenti non debent immutari.*

§. II. *Materia, & Forma Sacramenti non debent immutari.*

1. **N**imis est communis illa Regula, Mutatio effe-
lis facit invalidum Sacramentum, accidentibus
verò validitatem non tollit, sed usum facit illicitum.

2. Sed quæ est mutatio essentialis, quæ acciden-
talis? Respondetur. Quando, siue materia, siue forma cum
non conuenit cum materia & forma à Christo infusa
& ab Ecclesia visitata, est essentialis, & Sacramentum
per illam non fit. Vt si baptizet in uino, *conferre*
panem ex hordeo, dicas. *Ego te refrigis*, *loco, Ergo*
piizo. *Hoc est caput meum*, *loco Corpus meum*, &c.
conueniant quidem cum materia, & forma à Christo
infusa, sed fiat mutatio in re, quia ipsas non *diffinit*
alia, erit accidentalis, & fiet per illas Sacramentum
semper cum peccato mortali ex se; quia fit *exco*
municatio. Nisi fit adeo parua, ut pro nihilo repute-
tur, quando ad summum erit peccatum tantummodo re-
uerentie. Quare si dicas *Ego te baptizo in nomine Patris, &c.*
Spiritus Sancti probabilissimum est fieri baptismum, quia
hæc uerba non aliud etiam in communibus hominum
receptione, significant, nisi quod significant inuen-
tione forma, quia supponimus sic dici ob impetitionem
latini, uel ob impedimentum lingue, ut uel Zacharia
Pontifex *C. Retulerunt de consecr. d. 4.* Non in illis
quibus mutaret nomen literarum, quia in communibus
significatione ad aliud omnino, diuersum distribueretur
locutionis, tunc enim Sacramentum non fieret, ut
dicat: *Ego te baptizo, in nomine Mariæ, &c.*
Non igitur attendendum est ad mutationem litterarum,
significationem uocis, quæ ex mutatione litterarum
surgit. Pari modo, si baptizet in aqua calida, &
baptizet, imò licet in casu necessitatis infans, &
puer, quia non est mutatio nisi accidentalis, & non
cessitate id faciens, quia est parua mutatio, peccatum
uenialiter, dummodo non incendas facere con-
trarium in Ecclesia.

Hæc sint satis, nam cætera dicuntur, cum de linguis
Sacramentis.

3. Illud hinc locum commodum nancisceretur, Qui
cendum, si cum errore forma Sacramenti proferatur.

Respondeo. Error hic, vel exprimitur exterius in
forma, vel solum habetur in mente.

4. Si prius, utere allata regula, Nam, si nobis in
sensum mutet, ut, si Arianus dicat, *Ego te baptizo in no-*
mine Patris, Filij creature, &c. non fit Sacramentum
non mutet, fiet, ut, si quis dicat *Ego te in te, vel te Arrianum*
baptizo, &c. putans esse necessariam illum repetitionem
vel illud nomen: nam error hic est valde extrinsecus
significationi verborum, & illud quod tu addis, non te
strahit verum sensum, &c.

CAPVT II.

De Ministro Sacramentorum.

DVo hic explicari universaliter de Ministro debent nimirum ejus intentio, ejusdemque Probitas. Habe de singulis.

§. I. De Ministri legitima intentione conficiendi Sacramentum.

1. **D**istincte aliàs In Opus. de Sacram. Missæ. l. 2. c. 1. §. 2. de ejusmodi intentione disputavi, ac resolvi sufficere intentionem Actuale, vel Virtuale, non verò Habitualement, vel Interpretativam, Ea omnino recole; nunc enim satis sit hæc brevis regula.

2. Ad conficiendum Sacramentum, vel Primo satis est si actu habeas voluntatem illud conficiendi; quam habes, quando advertens ad Sacramentum, quod vis conficere; illius formam supra debitam materiam proferes, Vel Secundo satis est, si ex dicta iam habita voluntate Sacramentum conficiendi, nihil amplius cogitans, media sumis ad Sacramentum conficiendum, v. g. motus ex voluntate baptizandi Petrum, quam hoc mane habuisti, hodie illa nequaquam revocata, domo exis, ad Ecclesiam adis superpellicium induis, ad fontem accedis, puerumque abluis, ac formam Baptismi proferes, etiam si dum hæc omnia facis, ad alia quæcumque attendas, v. g. ad venerationem, ad lites, ad amicos invadendos, &c. Illam priorem vocamus actualem intentionem, hanc posteriorem virtualem, ceteras omnes vocamus habituales, vel interpretativas, atque adeo insufficientes Vide mox c. 3. §. 1. a. n. 6.

3. Quæres in hac virtuali intentione peccatne quis voluntarie alia cogitans, seu voluntarie distrahens, & dum Sacramentum conficit ad ipsum, vel ad Deum non attendit.

Respondeo. Hæc quæstio est similis illi, An qui orationem effundit Deo voluntarie distractus, peccet. Similis, inquam, nam non est eadem, quia oratio est collocutio cum Deo, effectio autem Sacramenti (præter Sacramentum extremæ unctionis, quæ fit per modum orationis) non est collocutio cum Deo, sed actio, quæ producit gratia, &c.

4. Profecto in neminem incidi, qui id de Sacramentis explicaret; ego in dicto Opus. de Sacram. Missæ. l. 2. c. 3. n. 9. solum quæsi de Sacerdote, qui conficeret cum dicta distractione, ac dixi voluntarie tunc distrahi esse mortale propter gravem irreverentiam, quæ Deo fit, dum in Sacrificio, opere omnium præstantissimo, aliud animum intendit sacrificans.

At, quid dicendum in aliis Sacramentis, in quibus, cum ea non sint sacrificia, dicta ratio non militat?

5. Mihi videtur peccari quidem venialiter, quia aliqua tandem hæc irreverentia est: at non audeo Ministrum sic voluntarie distractum, & ut suppono securum, quod nihil grave ex debitis ad Sacramenti consecutionem, omittat: non audeo, inquam de peccato mortali condemnare, quia non apprehendo gravem in hac distractione irreverentiam. Instrumentum Dei est Minister, & instrumento sufficit, nihil omittit ex iis, quæ ministranda sunt: cæterum si in actuali attentione deficiat, non apparet notabilis defectus. Confirmatur, quia in sententia iam ætate nostra valde probabili, si in oratione etiam ex obligatione faciendâ, admittatur voluntaria distractio, non est mortale, ut latè probât Delugo de sacra. Euch. d. 22. sect. 2. a. n. 25. Coninch. de sacra. q. 83. ar. 6. dub. n. 1. a. n. 289. Ergo nec mortale erit si similis distractio admittatur in forma extremæ unctionis, quæ deprecatoria tota est, ergo nec si admittatur in aliis Sacramentis, quæ perinde sunt Sacramenta, sicuti est extrema unctio; præter Consecrationem tamen Eucharistiæ, de qua propter peculiarem rationem sacrificii, aliud esse dicendum, iudicavi loco citato num. præced. Hæc dubitandi gratia sunt dicta.

A 2 6. Sempe

5. Si posterius, hoc est, si error habeatur solum in mente, ut, si idem Arganus v. g. retinens in mente filium esse creaturam, dicat Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel Calvinista si confeceret per veram formam, Hæc est corpus meum: intendat tamen mente, hoc corpus meum figura: distinctione opus habet.

6. Nam, si is per suum errorem sic proferens, intendat nihilominus facere, quod Christus instituit, vel Ecclesia Catholica facit, valide Sacramentum conficiet, quia per hanc intentionem faciendi, quod instituit Christus, & usurpat Ecclesia, corrigitur error. At si proferat cum expressa intentione, quamvis interius solum mente retenta, velit conficere Sacramentum secundum errorem suum conceptum, nihil efficiet, quia non ponit veram formam Sacramenti, quæ non est nisi illa, quæ significat, quod intendit Ecclesia significare.

7. Anno superiore accessit ad sacros Inquisitores quidam ex Hæreticis Transalpanis, reconciliationem exposcens cum Ecclesia Catholica, dubitatumque fuit, an esset baptizandus, quando quidem ipse narrabat, se audivisse his verbis Baptismum conferri solere ab illis Ministris, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, secundum auctoritatem, quam mihi concessit Calvinus.

8. Dixerunt recte Theologi de hoc consulti. Si hi Ministri intendunt facere quod Christus instituit, vel quod idem est, quod facit Ecclesia, sic baptizatos non esse rebaptizandos, esse autem omnino, si intendant secundum illorum verborum significationem, & non aliter baptizare. Sic, inquam, propter rationem à nobis modò allatam, dixerunt. Quoniam verò in casu proposito, qualis fuerit intentio illius Ministri qui hunc baptizavit, nescimus, imò ab inimicis Ecclesiæ, nihil aliud expe&amus, quam ritum ab Ecclesia diversum, ideò omnino iudicamus, illum hominem esse sub conditione rebaptizandum.

§. III. Forma non debet reiterari super eandem materiam.

1. **C**onsecrasti hostiam, rite baptizasti, &c. non potes sub pena peccati mortalis (quia fieret iniuria Sacramento) iterum proferre formam. At si dubius sis, an bene, & rite quoad substantiam protuleris, aio, te posse, ac debere repetere sub conditione, si non leve sit dubium. At si dubium sit circa accidentalia, non erit repetenda, juxta superius dicta in simili.

2. Quid, si sit dubium leve circa substantiam, atque ideò sit merus scrupulus animi pusillanimis, peccabiturne mortaliter ab eo, qui, ut amoveat à se scrupulum illum, repetit formam sub conditione supra eandem materiam?

3. Respond. Non audeo hunc condemnare de mortali sed solum de veniali, quia non irrogat gravem Deo, vel Sacramento injuriam, dum se movet tam bono fine non offendendi ipsum eundem Deum, licet, quia in hoc se gerit imprudenter, non effugiat culpam certè levem imprudentiæ. Ita Villalobos, quem approbat Leander. tr. 1. de Sacram. d. 5. q. 13.

4. Dices, Ergo idem fieri posset, si quis laborans solo scrupulo de suo baptismo, de sua Confirmatione, de suo Ordine, veller hæc Sacramenta, quæ reiterari non possunt iterum recipere sub conditione, ut se ab illa anxietate pusilli molestia liberaret.

Respondeo. Idem fieri posse propter paritatem rationis, dictus Leander ibidem concedit. Sed dictum hoc, vel reiterandum, vel temperandum eo modo est, quod distinctius dicam infra l. 2. de Baptismo. c. 1. §. 6. n. 4.

6. Semper autem secludendus est contemptus, sive actualis, sive virtualis, ut ex se patet. Et virtuale quidem esse (pato) si quis ex Ministris semper profiteretur oscitanter, & distractè se habere; tunc enim videretur contemnere res Sacras, ut in simili *Opus de Sac. Missæ*, c. 5. §. 1. n. 6. diximus de Sacerdote, non curante de ullis Rubricis Missalis.

§. II. De Ministris probitate.

1. **Q**ui conficit Sacramenta (nam de suscipiente mox §. 3.) ita dispositus esse debet, ut dum conficit, iniuriam non irroget Deo, cui in conficiendo simulatur. Vnde concludunt communiter Doctores, eum non debere esse in statu peccati mortalis (si ex officio illa ministret, quod officium §. sequenti explicabitur clare) nam licet Minister ille, qui est Dei inimicus, valide Sacramentum conficeret; non tamen sancta sanctè tractaret. Vnde peccaret mortaliter.

2. De huius peccati mortalis incurfu, certam rationem reddere difficile aliquibus visum est; ita, ut quidam dicant solum incurri peccatum veniale, quia non vident irreverentiam gravem, nec aliud caput, unde tantus rigor nasci possit. Ita Hieronymus Llamas in *summa*, & Ludovicus de S. Ioanne, citatus à Leandro mox adducendo, inclinatur Ortiz, citatus ab eodem, docentque aliqui recentiores innominati apud Leand. r. 1. de *Sacr. in gen.* 4. §. 8. & 9. qui etiam advertit hanc sententiam fuisse à Censoribus fidei delatam ex dicta summa Llamas.

3. Dico veram esse communem sententiam, quam confirmant DD. quos citat, sequiturque præcitatus Leander. Ratio autem communis, in qua innititur sententia hæc, ita breviter inducitur ab Hurtado, d. 4. de *Sacr. in gen. diff.* 9. Conficere Sacramenta in mortali, est prohibitum non iure aliquo positivo humano, nam id nullibi prohibetur, tamen in aliquibus Sacri Textus capitulis supponitur esse illicitum; neque positivo divino, voluntate Dei lato, quia de eo nullatenus constat; sed est prohibitum iure divino naturali, orto ex natura Sacramentorum, quam ex Dei institutione habent, quia est irreverentia contra Sacramentum, institutum ad sanctificandam, & mundandam conscientiam fœfici ab immundo, & sordido Ministro ad hoc consecrato, *Et paulo post*: Est irreverentia gravis, atque adeo mortalis, quia effectio Sacramenti est res gravis, & non parvi momenti, ac proinde, cum facta in peccato mortali sit illicita, erit per se, & ex suo objecto graviter, & mortaliter illicita. Hæc Hurtado.

4. Profectò hæc adversarios non expugnat, concedent enim effectio Sacramenti esse rem gravem, sed negabunt consequentiam illam, *ac proinde si est illicita, est graviter illicita*, facile enim concedunt receptionem Sacramenti esse irreverentiam gravem, ut cum omnibus DD. dicitur §. sequenti; at non cum eadem facilitate concedere volent, effectio Sacramenti ejusdem Sacramenti, quæ in alterius gratiam commutiter exhibetur, esse etiam irreverentiam gravem, longè enim diversa sunt hæc duo, Me indignum suscipere in Me Sacramentum, ordinatum ad mundiciem, & Me indignum concurrere cum homine fidelis, qui signè illud suscipiat.

Si ego rebellis adversus Regem, nomine ejusdem Regis adjuvem alium rebellem ad se humiliandum ipsi eidem Regi, ejusque reconciliationem procurandam, num de hoc opere, quod in ejus gratiam facio, me quasi de nova rebellionem, hoc est de novo, gravius delicto Rex condemnabit? Non utique. Peccatum autem veniale, ideo non evitabo, quia aliqua tandem deordinatio est, me indignum à rebus tam sanctis tractandis non abstinere, cum possim.

Hanc meam considerationem, vel certè similem, forte vidit Leandro l. c. qui propterea se reducit ad ultimum refugium, ad quod in similibus, in quibus rationem à priori difficulter invenire possumus, confugimus omnes; nimirum, hanc irreverentiam esse gravem existimandam

ex perpetua traditione, & sensu communi Ecclesiæ (cum non extet, nec præceptum hujusmodi potestatem dicendum sit, adesse præceptum Christi Domini merito, pro tanta Sacramentorum ab se infirmitate, & præcipit.

§. III. Explicatur praxis prædicta probitate Sacramentorum.

1. **I**psa eadem Ecclesia, ex eadem traditione, & sensu communi, explicuit necessitatem actualis probitatis, quod habere Minister Sacramenti debet, nam propterea DD. sequentem regulam efformant, certe probitas Solum tunc existens in peccato mortali, mortalius est conficiens Sacramentum, quando ad illud Sacramentum conficiendum est solemniter consecratus, aliunde aliquam excusationem in eo malo statum mentum conficiendi. Ratio regula est, quia DD. probabiliter tunc solum agnoscunt in hoc adesse Ecclesiæ consuetudinem, cum ratio reverentiae est præcipua. At gravis valde prebabiliter, tunc solum est, quod fuit quis ad illud Sacramentum conficiendum consecratus, & ut consecratus operatur, nam propter consecrationem magis, magisque obligatur ad sanctam tractanda. Hæc est regula, cujus clausula, quia clausula exposcunt declarationem, sigillatim sunt declaranda.

Conficiens Sacramentum.

2. Sic merito dicimus: nam Sacramentalia conferre vel alia munera Ecclesiastica exercere in mortali, est mortale, quia hæc Sacramenta non sunt.

3. Quare Sacerdos aquam lustralem, nuptias, paschalem, sal benedicens, ut item benedicens populum etiam cum Eucharistia, Parochus solemniter baptizans privatim hominem ab alio collati, supplex, idem Parochus assistens matrimonio, Sacerdos potrigens, laicus ministrans Eucharistiam fidelibus, idem eandem benedicens, sive extrailam tangens, concionator verbum etiam publice prædicans, Episcopus primam tonsuram conferens, idem Virgines, & Christum consecrans benedicens Oleum sanctum, Altaria, Temples, Corpora vestes sacras, Vasa, non peccant mortaliter, dum hæc in peccato exercent, quia sic Sacramenta non faciunt. Esto de *Lug. d. 8. de Sacri. sec. 9. n. 176. de Episcopum consecrantem Christum, & benedicens infirmorum in statu peccati, peccare mortaliter, non libentius sequimur doctiss. Vasq. 3. part. diff. 2. §. 4. de c. 4. n. 48. apud eundem de Lug. qui id negat.*

Quando ad illud Sacramentum est solemniter consecratus

4. Dico (solemniter consecratus) nam baptizans privatim, & dantes assensum ad matrimonium, ipsi contrahentes sunt Ministri, qui conficiunt Sacramentum matrimonii, hic non comprehendimus, Ministri ad baptizandum, & Ministri ad matrimonium sunt omnes Fideles nequaquam ad hæc solemniter consecrati, sed solum à Christo Domino deputati, qui instituit hæc Sacramenta.

5. Hinc etiam Sacerdos ministrans privatim Baptismum, hic non comprehenditur, quia id facit non consecratus ad illum, sed perinde ac ceteri Fideles.

6. Aliqui hanc clausulam sic formant, (quando ad Sacramentum est solemniter quis consecratus, deputatus) sed nos iis non assentimur, quia sequenti dictos privatos Ministros Baptismi, hic comprehendimus cum tamen valde probabiliter à DD. communiter censentur. Nam propterea etiam excludimus, etiam item probabiliter sententia, dictos Ministros matrimonii quatenus conficiunt, non verò propter mox dicenda sequenti, quatenus suscipiunt.

7. Ex hac doctrina fit Ministerium peccati mortali conferendo Sacramentum in mortali, solum in septuaginta sex casibus.

CAPUT III.

De suscipiendis Sacramenta.

NI voluntatem habes suscipiendi Sacramentum, nulliter tibi illud confertur, Ni bene sis dispositus, illicite. Hæc quomodo se habeant, explicemus separatim.

§. I. Voluntas suscipiendi Sacramentum.

Vel de infantibus, ante susceptum usum rationis loqueris, vel de adultis, quibus inest usus ille,

Rationis impotentes.

2. Aio primo. Infantes, ad quos reducuntur ii amentes, qui nunquam compotes fuerunt rationis, valide suscipiunt quatuor Sacramenta, nempe Baptismum, Confirmationem, Ordinem, Eucharistiam. At invalide alia tria, nimirum Pœnitentiam, Extremam unctionem, Matrimonium. Ratio est, quia illa priora non requirunt, ad suos effectus, suscipientium voluntatem, sed solum capacitatem subjecti (nam propterea fœmina, quæ est incapax, nunquam valide ordines recipit) si aliàs rite ponatur materia, & forma Sacramenti, ut probatur in Tractatibus de singulis Sacramentis: at illa posteriora requirunt voluntatem suscipientium; Pœnitentiæ enim materia proxima sunt liberi actus pœnitentis, id est Confessio est dolore, remota sunt peccata commissa; Extremæ autem Vnctionis materia sunt reliquæ peccatorum. In Matrimonio denique debet adesse consensus Coniugum, quo se invicem tradunt, & acceptant, qui actus in prædictis infantibus & perpetuis amentibus esse non possunt.

Compotes Rationis.

3. Aio 2. Adultis, quibus integrum est posse libere consentire, invalide suscipiunt Sacramenta, nisi consentiant; multo igitur minus si assentiant. Ratio est, quia sic instituit Christus Dominus, ut scilicet non conferretur tanta gratia Sacramentorum, nisi volenti, quando adultus est, & velle potest.

4. Idem dic de iis, qui usum rationis habuerunt, quem deinde per amentiam amiserunt: nam, si dum erant sanæ mentis Sacramentum nullo modo petierunt, invalide illis confertur. Legatur S. Thom. 1. p. quasi. 68. art. 7. alique ut Vasq. d. 238. Suar. de Sacram. d. 14. sec. 2. Coninch. de Sacram. quasi. 64. art. 8. dub. 5. G. Hurt. de Sacram. d. 4. diff. 13. Castrop. 1. 4. tr. 18. d. unie. p. 12.

5. Nota illud (libere) debet enim esse consensus humanus: qualis certe non esset quando quis per vim cogerebatur, quia tunc esset is simpliciter, ut supponimus, involuntarius. Esset autem validum Sacramentum, quando per metum gravem quis Sacramentum susceperet, quia metus non tollit voluntarium, simpliciter ut explicuimus Lib. 1. in Decal. cap. 2. §. 5. sed excipere debet matrimonium, quia hoc ex metu gravi initium, invalidum est, ut ibidem docuimus, n. 24. & dicemus cum de Matrimonio, In lib. 8. tr. 3. de matr. cap. 2. §. 2. & tr. 4. cap. 6. §. 2. Ordo autem ex metu gravi initus, validus est, characteremque imprimit, non tamen sic ordinatus, nisi postea ratificet, ad continentiam servandam obligatur, quia quoad hanc debet intercedere voluntarium simpliciter, ut ibidem explicatum est universaliter, & dicemus cum de Ordine.

6. Nota præterea illud (nisi consentiant) ad quod factus est voluntas habitualis. Imo in cæteris Sacramentis (præter Pœnitentiam, quæ requirit pro materia proxima actus pœnitentis) sufficit voluntas interpretativa. Explico clarius. Habitualis voluntas est illa, quæ cum semel fuerit, adhuc revocata non est. Fac v. g. te voluisse baptizari, & hac voluntate non retractata, in phrenesim te abisse, dico, tunc adesse consensum tuum habitualem, & valide te baptizari.

A 3 7. Interpre

- I. Quando baptizatur solemniter.
- II. Quando conficitur Eucharistiam.
- III. Quando absolvit Sacramentaliter, de qua re dixi distinctius In Opus. meth. Confess. lib. 3. c. 5. §. 3.
- IV. Quando conficitur extremam unctionem.
- V. Quando Episcopus initiat, seu consecrat Sacerdotes, An verò quando confert alios ordines, dependet ab illa questione; an alii ordines sint Sacramenta.

Quoniam verò in lib. de Ordine dicemus Diaconatum esse certò Sacramentum, Subdiaconatum verò esse, in probabiliori sententia, item Sacramentum, horum collatio in mortali facta mortalem inducit culpam. De cæteris minoribus cum maior sit dubitatio, an sint Sacramenta, id, quod ibidem decernemus, est consequenter dubitatio, an hæc ii comprehendatur. Sed denique utrumque esse probabile ibidem dicemus, nec idem negabimus de Subdiaconatu.

VI. Quando idem Episcopus confert Sacramentum Confirmationis.

8. Circa prædicta nota, in sex Sacramentis Confirmatione, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema unctione, & Ordine non fieri distinctionem, an conferantur privatim, an solemniter, quia in his semper Minister operatur, ut consecratur ab illa: at in Baptismo potest se habere ut laicus, quod est quando privatim baptizatur, sicut privatim semper se habet Fidelis in Sacramento matrimonii.

9. Nota item, Sacerdotem celebrantem Missam in mortali duo peccata committere, nam conficit Sacramentum, & illud suscipit in statu peccati, quod esse per omnes mortale insinuavimus modo, & §. sequenti latius explicabimus. Vnde satis non est ejusmodi Sacerdoti volenti aperire Confessario sua peccata, dicere, se communicasse in mortali, sed debet dicere, se etiam in mortali consecrasset, (vel utrumque includendo) se Missam in mortali celebrasse. Quod si is post consecrationem, contritionis forte actum eliceret, deberet expresse declarare, se solum consecrasset in mortali, nam propter actum dictum contritionis non commisit secundum peccatum, quod fuisset in indigna assumptione Communionis.

Nulla existente excusatione.

10. Prima excusatio ducitur à Charitate; Minister enim existens in mortali, quando in brevi morula non potest se conferere, & urget Collatio Baptismi, vel pœnitentiæ in proximè morituro, excusabitur, (testibus De lugo d. 8. de Sacram. n. 151. aliisq.ue) à peccato si baptizet, vel absolvat in mortali, ut à me probabiliter est explicatum, In Opus. de confess. lib. 3. c. 5. §. 3. n. præfertim 12.

11. Secunda excusatio ducitur à benignitate Dei in aliquo casu raro, de quo satis à me dictum est In Opus. de comm. c. 2. §. 10.

12. Tertia à levitate materiæ. Nam Diaconus, & Subdiaconus Evangelium, vel epistolam solemniter cantantes in mortali, & multo magis Clericus in minoribus, minorum Ordinum munera in eodem mortali exercentes, etiam si eorum collatio fuerit Sacramentum, non ut ait Leand. cum innumeris de ord. d. 2. q. 21. De lugo l. c. n. 152. peccant mortaliter, quia non habemus ex traditione, vel ex consuetudine, hæc iudicata fuisse gravem irreverentiam.

13. An saltem peccent tunc venialiter? Affirmant nonnulli cum Leandro de ord. d. 2. q. 18. & 22. Vasquez apud eundem ib. tamen cum aliis negat, quia nulli præcepto, vel consuetudini contraveniunt, quod certe probabile est.

14. In calce hujus §. lectorem moneo, aliquos aliter docere in prædictis: mihi tamen fuisse pro praxi satis probabilem, & profectò expeditiorem aliorum non ignobiliorum Doctorum sententiam ostendisse.

6 Liber I. De Sacramentis in genere.

7. Interpretativa voluntas est illa, quæ inhibetur, vel involuntur in alia voluntate. Fac. v. g. Catechumenum voluisse servare omnia Christi Domini præcepta, & item suscipere omnia remedia suæ salutis, atque hac voluntate non retractata, in similem phrenesim incidisse; dico baptizari posse, etiam licet, quia in illa voluntate adest interpretativè voluntas, seu consensus ad Baptismum: & illa necessitas periculi mortis licitam facit ejusdem Baptismi collationem.

8. Ex quibus vides Ministros, ut conferat Sacramentum, non satis esse voluntatem habitualement, vel interpretativam; requiritur enim, vel actualis, vel virtualis, quemadmodum supra explicatum est *In cap. 2. §. 1. num. 2.* Ut autem Sacramentum (præter poenitentiam) valide quis suscipiat, satis esse voluntatem dictam habitualement, vel interpretativam, ut jam hic explicavimus.

9. Hinc etiam intelligis rationem praxis quotidianæ Fidelium: Nam, quævis infirmis, quibus sive ob delirium, sive ob destitutos sensus mens deficit, non possit conferri Sacramentum poenitentiae: (hoc enim ut modò dixi *num. 6.* exceptum est) & solum ex sententia nonnullorum possit in iis casibus, quos *In Opuscul. de confess. leg. 2. cap. 10. §. 1. à num. 7.* plenè declaravi tamen in omnium sententia potest, & solet conferri Extrema unctio, immo, & Eucharistia, si non sit periculum vomitus, vel similis irreverentiae, & clarè non constet, eos esse in statu peccati mortalis. Ratio autem est jam indicata, quia hi in professione vitæ Christianæ habent interpretativè consensum sufficientem ad illa Sacramenta suscipienda, etiam si de aliquo illorum, ut facile esse posset de Sacramento Extremæ unctionis, nihil audierint. Lege quæ dixi *In Opuscul. de comm. c. 5. §. 9.*

§. 11. Dispositio necessaria suscipiendi Sacramenta.

1. **V**el is, qui primis labiis Theologica doctrinam attigerunt, notum est, ad suscipiendam Poenitentiam, & Baptismum, præter voluntatem illa suscipiendi, sufficere hominem esse saltem attritum, si actuali culpa gravatur; alia alia Sacramenta suscipienda, oportere illa suscipiendam debere esse in statu gratiæ, quæ obtinetur, vel per contritionem, vel per attritionem cum dicto Sacramento Poenitentia.

2. Quod si adultus nullum mortale commisisset, & attritione quidem indigeret, ad suscipiendum Baptismum (licet haberet peccatum originale) sed solum opus ei esset actus Fidei, & Spei, seu Charitatis; siquidem attritio, & contritio solum versantur circa proprium personale peccatum, non alienum, quamvis alteri imputatum, ut est peccatum originale. Videatur Coninch. *q. 62. ar. 1. de Sacram. dub. 2. concil. 2. n. 27.* Super sunt autem difficultates tres.

De Attrito, accedente cum mortali, sed bona fide, ad Sacramentum.

3. Prima difficultas. An si quis accedat ad Sacramenta, bona fide putans, se omni peccato carere, cum tamen sit à culpa mortali maculatus, vel putans, esse contritus cum tamen contritus non sit, sed solum attritus, an, inquam, gratiam, & remissionem peccatorum, ex vi Sacramenti obtineat.

4. Respondeo, obtinere, quia is jam per attritionem avertitur à malo commisso, quamvis bona fide non cognito, & consequenter non ponit obicem gratiæ, & ex alia parte Sacramentum rite suscipit. Decens enim fuit ut Christus Dominus id concederet Sacramentis, quando bona fide, & sine obice à Fidelibus suscipiuntur. Lege Castrop. *tom. 4. tr. 18. d. unie. p. 13. num. 6.* citantem Navar. Suar. Coninch. & alios; & dicentem hanc esse Doctorum communem sententiam. Sed certe, universaliter non est, nisi probabilis, ut ego breviter significavi *In Opuscul. meth. comm. c. p. §. p.* adducens G. Hurr. & Valsq. eam negantes. Dico (universaliter) nam per poenitentiam, quando adest,

attritio, acquiritur gratia, & de extrema unctio cum de illa.

5. Quid si prædictus, ne attritionis quidem actum eliceret? Id autem non quæro de Sacramento Poenitentia, scimus enim omnes, saltem attritionem vtpote partem hujus Sacramenti, pro ipso necessario omnino esse, sed de aliis Sacramentis.

6. Respondeo. Putat Coninch. *l. cit. num. 33.* & citat Scotum, & Caetanum; tunc Fidelem cum obicem dei & spei suscipiendam Sacramenta iustificari, gratiam recipere, quia supernaturalis actus Spei poenitentiam peccati commissi virtualiter continere videtur. Respondendum tamen est, non iustificari, nec recipere gratiam, quia nulla sit peccati remissio, absque poenitentia, habetur passim in Sacris Scripturis. At poenitentia virtualiter quidem, continetur in actu Fidei, vel in qua solum ad summum continetur Poenitentia rationata, sic: Si memor essem peccati, illud deest.

De accedente cum veniali ad Sacramentum

7. Secunda difficultas. An qui accedit ad recipiendum Sacramenta cum peccato veniali peccet venialiter, spondeo. Non committere novum veniale, dicitur *In Opuscul. de comm. cap. 1. §. 4.* esse probabile, cum cum peccato veniali Eucharistiam suscipit; Multo magis idem descendit de cæteris Sacramentis, quæ te inferiora sunt Eucharistia. Hinc autem sequitur, non impediri productionem gratiæ, quia peccatum veniale stat cum gratia.

De accedente ad Sacramentum cum mortali, sed sufficiente dispositione.

8. Tertia difficultas petit pro curiosis brevem explicationem ejus questionis. An deur Sacramentum validum, & informe? Si enim deur, tunc erit, quod qui sine sufficienti dispositione ad Sacramentum accedit. Nam si tu adultus peccato mortali gravatus baptizaris, v. g. sine nulla contritione, vel attritione, sed cum voluntate quidem Baptismum recipiendi, sed valide recipis, sed gratiam non acquiris: Ecce quomodo validum est Sacramentum, sed informe, hoc est, sine gratia. Gratiam autem non acquiris, quia universaliter loquendo ad validitatem Baptismi satis est voluntas illa suscipiendi: at pro gratia per illum acquirenda debes insuper te disporre, removendo impedimenta; seu obicem dictæ gratiæ, vel per actum contritionis, vel in sententia probabili, per actum solius contritionis: Cujus Auctores vides apud Bonac. *l. 1. de Sacram. quæst. 4. p. 2. num. 2. & quæst. 6. p. 2. num. 13.* Neque enim gratia acquiri potest, nisi homo à suo peccato, ut modò dixi, idest ab inimicitia Dei per proprium actum avertatur. Quæstio igitur est, an si tu post Baptismum valide susceptum, sed modo dicto sine gratia, (quo peccato jam dixi, Sacramentum hoc validum est, & informe, idest gratia non informatum) an, inquam, si deus vel te conteras, vel cum attritione suscipias Sacramentum Poenitentia, de peccatis, quæ forte commiseris post Baptismum, vel in dicta sententia probabili te solum atteras, acquiras ex vi Sacramenti Baptismi antea valide suscepti, gratiam, eamque non solum vi, & ad mensuram dictæ contritionis, vel Sacramenti Poenitentia, verum etiam ex opere operato, & ad mensuram Baptismi, jam antea informiter suscepti. Advertatur autem de mortalibus peccatis, quæ forte commiseris post Baptismum, semper esse necessarium vel contritionem, vel susceptionem Sacramenti Poenitentia, juxta ea, quæ infra lib. de poenit. cap. 1. dicta sunt. Quod igitur propositum est sub exemplo Baptismi, quæritur universaliter Theologi de cæteris Sacramentis.

9. Respondeo. Circa hanc questionem novem nino legi sententias. Prima est Valsq. *3. p. quæst. 161. d. 2.*

& Huc, d. 3. de sacram. diff. 8. concedentium hanc efficaciam soli Baptismo.

Secunda est Cui de penit. p. 5. eandem efficaciam concedentis Baptismo, & Penitentia.

Tertia, Covarruvias in cap. Alma Mater p. 1. §. 4. n. 25. omnibus, & solis Sacramentis imprimendis Characterem, id est Baptismo, Confirmationi, & Ordini, quæ reiterationi non valent.

Quarta Sylvestri V. Baptismus, prædictis tribus Characterem imprimendis, & item Penitentia.

Quinta Agidij Coninch. g. 62. de Sacram. art. 1. d. 5. n. 75. prædictis tribus Characterem imprimendis, & item Matrimonio, dum durat idem vinculum, & denique Extrema. Vnctionis, dum durat eadem infirmitas; nam, cum nec illa, nec Matrimonium, & Extrema Vnctio, tunc reiterationi possunt, indicantur inquit, perseverare, & suum effectum, sublato obice, producere.

Sexta Suarii d. 28. de Sacram. sect. 6. quem sequitur De Lugo d. 9. de Sacram. n. 100. omnibus Sacramentis, præter Eucharistiam.

Septima Leandri tr. 1. de Sacram. §. 9. 7. citantis S. Th. Cætanum, Sorum, Bonac. si omnibus Sacramentis, quare non etiam Eucharistia.

Octava aliquorum apud Filliuc. tr. 1. n. 143. nulli prorsus Sacramento.

Non Castropalaui tom. 6. tr. 18. disp. unic. p. 9. n. 5. & 6. omnibus quidem Sacramentis, sed Eucharistia, solum, dum factæ species non sunt consumptæ in stomacho recipientis, & Sacramento Penitentia, si quando hoc possit esse validum, & gratiam non producere.

Hæc Doctores. Ego Dico primo, non esse negandum hanc efficaciam inesse Sacramento Baptismi, tum quia id ferè omnes Doctores (exceptis paucis) docent, tum quia probabilius est id colligi ex S. Augustino, apud Castropalaui, sed latina apud De Lugo l. c. contra Valq. tum quia Baptismo, cuius est asserere novam hominis regenerationem, statimque vitæ immutabilem Christiano religionis, maxime decuit hanc prærogativam conferri.

Secundo Dico, cautè Castropalaui modo dixi. sed si quando Sacramentum Penitentia possit esse validum, & gratiam non producere) nam multi negant id

esse posse. Ratio est, inquit, quia in Sacramento Penitentia pro necessaria materia sunt actus penitentis, id est confessio, & dolor, quo dolore iam avertitur penitens à malo peccati, & tollit obicem: quare si tunc addatur forma, quæ est Absolutio, iam Sacramentum erit ita validum, ut trahat reconciliationem cum Deo, atque adeo informe esse non poterit. Tamen quia non est improbabile in aliquo casu posse esse etiam hoc Sacramentum validum, & informe, ideo laudo Castropalaui loquutum fuisse sub conditione, Si quando, &c. Casus autem saltem ille esset, quando quis confiteretur sua peccata cum dolore, ducto ex peculiari motivo, sufficiente solum illa peccata quæ confiteretur. Confiteretur quis v. g. peccata turpia cum dolore, ducto à motivo talis turpitudinis, sed obliviscitur inculpate alterius peccati diversi generis, v. g. Blasphemiz. In hoc enim casu videtur confessio esse valida, quia iam adsunt partes necessariæ Sacramenti penitentia, nempe Oris confessio, Cordis dolor, & absolutio: at quia non adest dolor se extendens ad blasphemiam, non poterit blasphemiam remitti, quia, ut supra diximus, non potest remitti peccatum, nisi avertaris ab illo. Et ex alia parte, nec remitti possunt peccata illa turpia, quamvis confessa, quia non potest remitti unum mortale, sine alio: & ita in hoc casu non dabitur gratia, & consequenter Sacramentum hoc erit validum, & informe. Verum has Theologicas speculationes in Scholis disputandas, relinquamus.

§. III. An liceat petere Sacramenta ab eo, qui peccato mortali, vel excommunicatione gravetur?

1. DE hac quaestione, vide quæ dixi l. 5. de Decal. c. 1. §. 4. n. 36. & in opus. de comm. c. 5. §. 4.

§. IV. An liceat volenti suscipere Sacramentum indignè, illud ipsi ministrare.

Hæc difficultas agitur à Doctores sub illis terminis: an peccatori publico, vel occulto ministrari possit Eucharistia? Quam ego satis item explicui in Opus. de comm. c. 6. §. 6.

Finis de Sacramentis in Genere.

DE BAPTISMO.

LIBER SECVNDVS.

CAPVT PRIMVM.

De Materia, & Forma Baptismi.

MATERIA, est Aqua naturalis, seu elementaris, proxima, est Ablutio, Forma, Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.

§. I. De Materia remota.

Materia remota certo sufficiens ad valorem Baptismi.

1. Anè ad valorem sufficit Aqua maris, fluminis, fontis, stagni, putei, cisternæ, pluviz.

2. Ros item, & proina non concreta, Aqua quæ ex vasculis conflatur, qualis est, quæ in hyeme ex parietibus illa aqua plenis subicitur ignis.

3. Præterea Aqua, quæ habetur ex nive, glacie, grandine liquefactis, Aqua decurrens ex balneo, quamvis odor sulfurei, Aqua expressa ex luto.

4. Aqua denique quamvis calida, quamvis frigida, quamvis odorata, quamvis aliquantulo crassiore & paulo luto immista, dummodo Aqua sit, & ad abluendum apta. Ratio omnium horum est, quia omnes prædictæ sunt aquæ naturales. Aquam, quæ fluxit à latere Christi Domini naturalem fuisse, censuerunt Sancti Patres, quare ad Baptismum satis, superque fuisset.

Materia remota certo non sufficiens.

5. Contrà, omnes alii liquores, qui ab aqua specie differunt, qualè est vinum, lac, mel, oleum, aqua, quam vocamus ardentem, seu aquam vitis, urina, lachrymæ, saliva. Hanc dubiam vocat cum Coninch. Castropalaui. de Bapt. d. unic. puncti. 3. n. 2. sed immerito, est enim certo insufficiens, sudores, aquæ quæ stillant ex incisione vitis, ex cucumeribus, ex pèponibus, &c. insufficientes sunt, quia non sunt aquæ naturales, seu elementares.

6. Aqua item, ita alterata, vel alio corpore ita immista, ut aquæ denominationem, naturamque amiserit, huc reducitur, ejusmodi est lixivium forte, ius, seu brodium.